

G.K.
422,
29.

X 187 6403

*De reliquiis Passionis Christi
apud Pontificios mag.*

II i
1444

I. N. J.

Ad audiendam

**HISTORIAMPASSIO-
NIS DOMINICÆ,
IN SCHOLA ALTENBURGENSI**

IX. KL. Apr. A. C. cl. lcc. LXXVI.
voce ac fidibus canendam,

cui

EXERCITIA ORATORIA

ex

Historia eadem petita inferentur,
Literarum Patronos & Musicae
Fautores

submissè, officiosè ac peramanter
invitat

M. PAULUS MARTINUS SAGITTARIUS,
RECTOR.

Altenburgi, apud Gothofredum Richterum,
Typographum Ducalem.

BIBLIOTHECA
PUNICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)



L. B.

S.



Ultra quidem in Historiâ
Passionis Dominicæ occurrunt,
quæ his pagellis potuissent ven-
tilari: placuit tamen, iis alium in
diem reservatis, *reliquiarum*
contexere catalogum, quæ ex
memorata Historia desumptæ à
Papicolis superstiosè ostentantur. Primum oc-
cupet locum *Mensa*, in qua agnum paschalem
Christus cum suis discipulis comedit, sacramqve
cœnam instituit. Ostenditur autem Romæ in
templo Lateranensi S. Johannis, à Tito Vespasiano
Imper. eò translata, teste Balth. Mencio in itin. Rom.
Joh. Georgii I. El. Sax. p. 183. Mantuæ quoq; parti-
cula asservatur, & olim Witebergæ in templo o-
mnium Sanctorum particulæ quinque, novem item
Halæ in æde S. Mauritii, ut videre est ex relatione
Histor. reliquiarum Witebergensium & Halensi-
um à Wolffg. Frantzio D. ed. Witeb. 1618.

II. *Mappa*, quâ mensa strata, monstratur inte-
gra Parisiis in S. Capella, & Cadurci, oppido Galliaë
Aqvi-

Aquitanicæ, in Ecclesia Basilica: partes verò Norinbergæ in templo S. Spiritus, Monachii in templo aulico, in Monasterio Andecensi, Witebergæ, ubi quinque particule, & Halæ, ubi tres. His autem verbis adoratur: Sanctissima Dei mappa, ora pro nobis, ut refert Polanus Synt. l. ix. c. 30.

III. *Patinam*, in quâ agnus paschalis, videbitur Rhodi, Romæ, Arelati & Genuæ in templo S. Laurentii: & quidem Genuensis ex Smaragdo confecta dicitur Saurio in descr. urb. p. 610. forma sexangulari & unius digiti crassitudine.

IV. *Cultrum*, quo agnus paschalis dissectus, reperies Treviris, teste Anonymo de spoliis Sanctorum ap. Wolffium Cent. 16. lect. memor. f. 241.

V. *Muccinii* à Christo in ultima Coena adhibiti particula quondam inter reliquias Halens. est numerata.

VI. *Pelluvium* æreum integrum Massiliæ in templo S. Lazari invenitur, testimonio Autoris de lic. Gall. p. 854. Quî vero, salvo eodem, crux potuerit conflari Rhodi olim ostensa, tantarum virium, ut ceræ impressa maris sedaverit tempestates, quod Bernh. Breitenbach in Itiner. affirmat, ego quidem non video.

VII. *Supparum*, quo Christus in pedibus Apostolorum exstergendis usus, possident Roma in templi Lateranensis altari S. Mariæ Magdalenæ dicato, Aquisgranum in æde S. Cornelii, Norinberga, Mantua, Witeberga, Hala & Monasterium Andecense.

VIII. *Lacryma Christi* in ipsa pedum lotione delapsa custoditur in Ecclesia D. Maximi, sicut narrat Autor Sacrarii Coloniensis.

IX. *Panis* in Sacra Coena usurpati particulas habent templum Salvatoris in Hispania, Witeberga & Hala.

X. *Calix* discipulis à Christo porrectus apprehenditur Lugduni in templo Mariæ Insulanæ & in Helvetia in æde Augustinianorum.

XI. *Linteoli* dimidium, quo Christus faciem sanguineo sudore madentem absterfit, restat in Monasterio Andecensi, Constantinopoli à Rassone, Comite Andecensi, allatum, prout Autor Chronici Andecensis, ed. Monachii 1611. p. 107. testatur.

XII. *Fruticis*, quem penes Christus in genua provolutus preces fecit, particula quondam Halæ in æde S. Mauritii comparuit.

XIII. *Arboris*, sub quâ Christus captus, portiuncula eodem in loco olim aderat.

XIV. Ibi quoque partem *stipitis*, ad quem Christus in horto alligatus, videre licuit.

XV. *Funis*, quo Christus vincus, particulam sibi quondam vendicavit Witeberga.

XVI. *Juda*, non Malchi *laterna* habetur S. Dionysii, oppido Franciæ in æde elegantissima S. Dionysii, ut testis est Joh. Wilh. Neumayer /in Itin. Joh. Ernesti, Sax. Duc. p. 142.

XVII. *Scala*, cui gallus cantans institit, exhibetur

tur Romæ in æde Lateranensi, attestante Herm. Bau-
inckio, libro, cui tit: *Wegweiser zu den wunderlichen
Sachen der etwan heydnischen / nun aber Christlichen
Stadt Rom* p. 101. quod ipsum tamen non conve-
nit cum relatione Georgij Christoph. à Neitschitz / qui
Hierosolymis locum à Gallo cantante occupatum
in muro Palatij Caiphæ se vidisse, scribit. *Itiner. à Chri-
stoph. Jagero 1673. edito p. 312.*

XVIII. *Argentei*, quibus Salvator venditus &
quorum unus quatuor denariis æstimatur, non u-
no, nec mina Attica i. e. 12. thaleris cum dimidio, ut
Joach. Camerarius l. de numism. Græcis ac Lat. sta-
tuit, variis in locis continentur. Unum habet Lu-
teticia Parisiorum in templo S. Johannis, de quo Wil-
helm Budæus l. V. de Ase & partibus ejus p. 636. se-
quētia adducit: *Habet effigiem hominis non luscam,
eminente altera mala, sed adversam & integram,
& à tergo flosculum utrinq; nullo indice. Ponderus,
ut conjicere licet, [non enim attrectatur, sed trans
vitrum cernitur,] didrachmum esse potest.* Alterum
ostendit Lovanium in Monasterio Cœlestinorum,
tertium Rhodus in æde, S. Johannis, quartum Hala
& quintum Monasterium S. Montis Andecensis.

XIX. *Jude* laqueus, quo gulam fregisse dicitur, o-
lim fuit Romæ, sed à Duce Fronsbergero aliò trans-
portatus, ut recenset Autor des *Bienenforbs* / part.
I. c. II. p. 61.

XX. *Sambucus*, de quâ, si credere fas est, Judas se

suspendit, Hierosolymis cernitur, ut memoriae prodidit Joh. de Montevilla in Itiner. Palæst.

XXI. De *candida Christi veste* ab Herode data tres particulae Witebergæ, & duæ Halæ olim delituerunt.

XXII. *Lapis*, in quo coram Pilato stetit Christus, visitur Hierosolymis, indicante hoc Felice Fabro in Itiner. Palæst.

XXIII. *Virgæ*, qua Christus percussus, particulas Witeberga & Halæ complectebantur.

XXIV. *Flagellum* Romæ in æde B. Mariæ spectatur, & olim Witebergæ atqve Halæ partes aliquot.

XXV. *Columnam*, ad quam Christus flagellis cæsus, diversa ceperunt loca. Hierosolymis in templo Monachorum reperitur portio, ut docet Sal. Schweigger in Itiner p. 295. Constantinopoli quoq; in Ecclesia Sophiae pars duas ulnas longa, tempore quadragesimali sudans, datur, ut memorat Rudolph. Kircher in Itin. Palæst. Romæ in æde Praxedis, Candiæ, Lugduni, in Monasterio S. Claræ Ubetæ, provinciae Granatensis, Monachij, Witebergæ, ubi 12. particulae, Halæ, ubi 27, & in Monasterio Andecenti.

XXVI. *Funis*, quo Christus ad columnam deligatus, superest Norinbergæ in templo S. Spiritus, teste Mart. Zeilero part. 1. Itiner. Germ. f. 107.

XXVII. *Vestis Christi purpurea*, sanguine conspersa recondita est Romæ in Ecclesia Lateranensi, & quædam particulae Witebergæ & Halæ.

XXVIII.

XXVIII. *Corona spinea*, cujus tot particulae, quot sepimento conficiendo omnibusque Papis coronandis possent sufficere. Pars una dicitur asservari Constantinopoli, & altera Parisiis à Ludovico Rege in S. Capellam transportata, ut peculiari libello docuit Galterus Cornutus, cui huc titulus: Historia susceptionis coronae spineae Jesu Christi, quam Ludovicus Rex à Balduino, Imperii Constantinopolitani hærede obtinuit ac Parisios reportavit Anno 1239. Et tamen, quod mirandum, multas offendes particulas Romæ in templo S. Crucis, Venetiis in monasteriis S. Zachariæ & Antonii, Senis, Mantuæ, Vincentiæ, Compostellæ in æde S. Jacobi, in templo Salvatoris, Tolosæ, Matisconæ, Charrovii, Cleriaci, Sanfloridi, Sanmaximi in Provincia, Sallæ, Vefontii in Ecclesiâ S. Joh. ubi tres spinee, Norinbergæ, ubi 5. Witeb. ubi 9. Halæ, ubi 15. Lovanii, Avarici Biturigum, Ragusæ, Rhodi, ubi spina die Parasceves ab horâ sexta ad nonam florere nunciatur, in Monasterio Andecensi, ubi 12. spinee & Colonia Agrippinæ in Ecclesia S. Ursulæ, in quâ Johanni Casimiro, Duci Sax. referente Gerharo Loc. de Morte §. 106. sacrificulus quidam partem coronæ deosculandam Anno 1610. præbuit, quod tamen piissimus Princeps his verbis recusavit: Cur honore cultuque religioso id afficiam, quod caput Salvatoris mei læsit? Conf. dissert. Cognati conjunctissimi, Casp. Sagittarij, Hist. P. P. Jen. de Corona spinea.

XXIX.

XXIX. *Lapidem*, in quo Christus coronandus sedit, ostentant Hierosolyma, Witeberga & Hala.

XXX. *Arundo* sceptri vice Christo exhibita conspicitur Romæ in templo Lateranensi, Parisiis in S. Capella, & in Monasterio Andecensi particula spithamam longa.

XXXI. *Octo gradus marmorei* cum foraminibus Christi sanguine impressis, quibus ad Pilati prætorium ad scensum, offerunt se Romæ ad fores ædis Lateranensis: eos pedibus calcare religioni ducitur.

XXXII. *Mantile Pilati* alicubi latere conjicit Edmund. Merillius not. in passionem Christi p. 53.

XXXIII. *Lapidem*, in quo Christus crucem balans quievit, urbs Hierosolymorum profert.

XXXIV. *Sudarium* Christo ad montem Calvariae eunti à Veronica oblatum & ipsius imagine insignitum se habere gloriantur Roma in æde Lateranensi, Aquisgranum, Vesontium, Cadurcum, Mantua, Trajectum, Nicea in Sabaudia, & Witeberga. Qui hoc sudarium sequentibus verbis venerabitur: Sancte Sudari, ora pro nobis, libera nos à peste, & morte tristi, decem millium dierum percipit indulgentias ex concessione Papæ Johannis xxii. ut est in Antidotario animæ.

XXXV. *Cruce Christi* ex sententiâ Lipsii de Cruce l. 3. c. 13. ex quercu confecta, vel juxta Johan. de Montevilla in Itiner. Pal. ex quatuor lignorum generibus, & quidem truncus è cedro, stipes ar-

ctari-

Etarius e cupresso, lignum transversum ex palma & tabula ex olea, in omnibus fere Pontificiorum templis datur, adeo ut navis oneraria omnes illius particulas vix ac ne vix quidem queat recipere, iudicio Erasmi not. ad Matth. 27 Helena filio Constantino unam partem supra columnam porphyraceam Constantinopoli collocatam, alteram vero thecæ argenteæ inclusam Episcopo Hierosolymitano misisse perhibetur. Unde ergo illius particulæ, quæ comparent Norinbergæ, Angrivariæ, Monachii in templo S. Michaëlis, Ratisbonæ in æde S. Emerani, ubi triplex lignum crucis, Coloniae in Ecclesia S. Barbaræ, Melici, Witebergæ, ubi 33. partes, Halæ, ubi 80. in Monasterio Andecensi, ubi 25. Venetiis in Monasterio S. Antonii, in Tuscia in conuentu S. montis Alverni, Mantuæ, ubi 16. particulæ cum parva cruce, Parisiis in S. Sacello, Pictavij, S. Dionysij, Insulis, Flandriæ oppido, Trajecti ad Mosam, Tornaci, Tongerenæ, Candia, Rhodi, & Ragusæ? Tot ergo crucis particulas hinc inde invenias, quæ multis curribus non possent imponi, ut censuit Jac. Heilbrunner. in Papatu Aethiopyco apol. art. 13. cap. 6. Conf. Alph. Ciacconius de signis Sanct. Crucis, Jac. Gretserus de cruce, Arnoldus Mermannius de cruce, Jac. Bosius de cruce triumphante, Kippingius Exercit. de cruce & cruciariis.

XXXVI. *Cunei*, quo crux lapidi firmiter impacta, particulam olim depromebat Witeberga.

B

XXXVII

XXXVII. *Clavi*, quibus Christi manus pedesque perforati, numero tres, aut quatuor, ex sententia Gregorii Turonensis, adhuc superesse dicuntur, cum tamen juxta Baronium ad A. C. 326. n. 54. ex duobus frenum Constantini confectum, tertio diadema regium compactum, & quartus in Golfo de Satalia ad componendos maris fluctus sit conjectus. Unde ergo suos acceperunt clavos Augusta Trevirorum, Colonia, Norimberga, Witeberga, Roma duos ostendens, unum in templo Helenæ, alterum in æde S. Crucis à Bajazethe, Turcarum Imp. donatum, Venetiæ, Mediolanum, Senæ, Mantua, Ancona duos asservans, Carpentoractum, Lutetia Parisiorum, ubi duo offenduntur, unus in S. Capella & alter in templo Carmelitarum, S. Dionysii Abbatia in Gallia, Draquiniana, Abbatia à fabri forcipe dicta, & Avaricum Biturigum vulgò Bourges. Treviris ab Helenâ Agritio, Episcopo Trevirensi datum esse respondebit. Sed quæ hæc cum Baronii verbis supra adductis consentiunt? Si quartus in mare Adriaticum ab Helena missus, Agritio tradi non potuit. Mediolanum & Carpentoractum ad frenum Constantini provocant: sed irritò planè successu; Clavi enim freno non sunt inserti, sed ex iis potius frenum est confectum. Arripiant ergo Papæi opinionem Bauinckii, clavos vel ex ligno transverso, vel crucis titulo esse desumptos, aut ad formam aliorum clavorum conflatos. vid. Cornel. Curtius de clavis dominicis.

XXXIIX.

XXXIIX. *Titulus Crucis* literis Ebræis, Græcis & Latinis inscriptus non chartæ, ut Nicol. Lyranus statuit, sed tabulæ lignæ ex buxo juxta Bedam in collect. de cruce Domini paratæ, vel olea ut Montevilla, aut nuce ex mente Antonini, vel quercu, ut Lipsio l. 3. c. 13. de Cruce placet; cui tamen contradicit Henr. Müllerus in Jesu patiente n. 52. quercum in Palæstina rarissimam fuisse, Ebræorum fragmentis probando. Titulus autem ille repositus est Romæ in æde S. Crucis & Tolosæ. In Romano diu ignorato, reperto tamen in pariete 26. Jan. A. 1492. literæ Ebrææ non amplius apparent, ex Græcis τὸ Ναζαρεθῶν superest à latere sinistro dextrum versus scriptum, quod manifesto est indicio, titulum illum commentitium merito judicari. Conf. Phil. Mornæi Mysterium iniquit. f. 596. Casaub. Exerc. ix. tm. 3. & Ex. xvi. tm. 86. & Honorat. Nicqvætum de titulo crucis Dominicæ.

XXXIX. *Cruce latronis* Cismæ, ut audit Joh. de Montevilla, ad dextram Christi crucifixi latitat in Insula Cypro & quidem in Monasterio Benedictinorum in monte S. Crucis sito, quam Helena eo deportavit, teste Christoph. Furero in Itin. Palæst. p. 298.

XL. *Tabulam marmoream*, super qua milites de tunica Christi inconsutili fortiebantur, offendes Romæ in templo Lateranensi.

XLI. *Tessera* sunt Treviris & in æde S. Salvatoris in Hispania.

XLII. *Tunica Christi inconsutilis* juxta Euthymi-

mi-

mium in Matth. 27. Mariæ manibus texta asservari dicitur Treviris, quò à Helena transmissa. Populo quatuor vicibus est ostensa, nempe Anno 1196. 1512. 1585. & 1655. ut tradit Autor des kurtzen Berichts ed. 1655. Hanc tunicam rite venerantes plenariam omnium peccatorum indulgentiam consequuntur, ut promittit diploma Archi-Episcopi Trevirensis Caroli Caspari in palatio Petri 20. Febr. 1655. affixum. Sed supposititiam esse, multis docuit Joh. Georg. Dorscheus in tr. de tunica Christi inconsutili. Plura non addo, nisi quod tunicam illam etiam reperias Romæ in templo Lateranensi supra altare Mariæ Magdalene, Argentolix, pago prope Parisios, Insulis in Flandria, Venetiis, Ragusæ, Witebergæ & Halæ. Conf. Maresii diff. de tunica Christi incons.

XLIII. *Acetum* Romæ in templo Lateranensi fertur abditum.

XLIV. *Spongia* orientis Christi apposita integra comparet Romæ in templo S. Crucis: particulæ autem Venetiis, Mantuæ, S. Dionysii, Norinbergæ, Monachii in templo aulico, Witebergæ & Halæ.

XLV. *Arundo*, cui spongia affixa, Constantino-
poli extitit, teste Joh. Montevillano in Itiner. Palæst.

XLVI. *Myrrha* Christo exhibitæ particula olim Halæ visa.

XLVII. *Lancea*, qua dextrum Christi latus, aut juxta alios sinistrum apertum, integra ostenditur Norinbergæ in templo S. Spiritus 20 $\frac{1}{7}$. pollices longa, in-
signe

signe Imperii Romani, quam Henricus Auceps ex Rudolphi, Regis Burgundorum dono est adeptus. Dubiam vero eam faciunt, quæ Henr. Höpffnerus sect. 3. Saxon. Evang. part. 2. c. 2. p. 555. & seqq. Johan. Conr. Dieterichius in vita Henrici Aucupis n. 4. p. 17. & Jac. Gretserus de insignibus imperij adduxere. Præterea lanceam sibi vendicat Roma, quam Bajazethes, Turcarum Imperator per Mustapham Basfam 1492. Pontifici Innocentio VIII. transmisit, ut pluribus refert Marcus Vigerius tr. de præstantia & dignitate lanceæ Longini Papæ à Turca missæ præ tunica inconsutili à Bajazethe reservata. Reperies quoque ferrum lanceæ Parisiis in S. Capella, Scivæ prope Burdegalam & ap. Xantones in Monasterio forcipis aurifabri. Quod Papa Innocentius VI. festum lanceæ & clavorum anno 1353. instituerit, prolixè docet Hospinian. de orig. fest. Christian. f. 75.

XLVIII. *Militis*, quem falsò Longinum appellant, λαΨανα collegerunt Mantua, Lugdunum & Monasterium Andecense.

XLIX. *Sanguis & Aqua* ex latere Christi aperto profluxus multis in locis dicitur conservari, quod ipsum sententiæ Doctoris Angelici, Thomæ part. 3. qv. 54. art. 2. contrariatur; Statuit enim *totum Christi sanguinem in cruce effusum rediisse in corpus & sanguinem*: qui in Ecclesiis quibusdam pro reliquiis conservatur, non fluxisse de Christi latere, sed miraculosè dici effluxisse de quadam imagine Christi per-

sti percussâ. Vanum ergo est, quod Ecclesia Late-
ranensis Romæ sangvinem aquæ admixtum à Ma-
ria & Johanne collectum duabus ampullis die Pa-
schatos populo ostendat adorandum. Ridiculum
quoque est, quod Rupella guttulas aliquot à Nico-
derno chirothecâ exceptas, Mantua plenas phialas,
Bilonum in Avernia liquidum in vase crystallino &
vicus huic proximus coagulatum exhibeant. Evolv.
Th. Bartholinum de latere Christi aperto & Franc.
Collium, Theol. Mediolan. de sangvine Christi.

L. *Sudarium*, quo Christi in cruce pendentis fe-
moralia contacta, antea Mariæ peplum, visui obji-
citur Romæ in æde Lateranensi, Carcassonæ a-
pud Augustinianos, Halæ, & in Monasterio Ande-
censi.

LI. *Forcipem*, quo clavi ex manibus pedibusque
Christi tracti, tenet Mantua ex relatione Franc.
Gonzagæ part. II. Histor. Seraph. p. 338.

LII. *Sudarium*, quo Christi sepulti caput obve-
latum, invenias Romæ in clauetro Monialium, A-
quisgrani, Witebergæ & Halæ.

LIII. *Sindon*, qua Christi corpus involutum,
sanctissime custoditur Turini in Pedemontio, ut
annotavit Corn. à Lapide in Joh. XIX. 39. Halæ &
Sarlati in Gallia.

LIV. *Lapidis*, cui caput Christi in sepulchro im-
positum, particulas cæteris reliquiis quondam Hala
accensuit.

LV.

LV. *Lapis*, quo sepulchrum tectum, superstes
est Hierosolymis & particula Witebergæ & Halæ.
Atque hæc sunt conficta passionis Christi *λείψανα* à
Pontificiis ostentata. Plura qui desiderat, adeat li-
brum *Rudolphi*, Presbyteri Fuld, cui tit. liber Raba-
ni de reliquiis Sanctorum ap. Christoph. Brovverum
I. III. Ant. Fuld, librum item de spoliis, exuviis & re-
liquiis Sanctorum ab Anti-Christo divinis honori-
bus affectis ap. Wolffium Centen. XVI. lect. me-
mor. f. 241. ed. nov. libr. de reliquiis Sanctorum,
quem ex Gallica in Latinam convertit Lingvam Ni-
colaus Gallafius, apud Wolff. l. c. f. 768. ed. nov. Jo-
hannem *Calvinum* l. de Papistarum reliquiis, quem
Germana indutum veste Jac. *Eysenberg* anno 1590.
edidit. Consulat quoque Mart. *Chemnitium* part.
IV. Exam. Conc. Trident. Jac. *Heilbrunnerum* in *Un-*
catholischen Pabstthum apolog. art. 13. c. 6. *Gerhar-*
dum, Loc. de Morte §. 101. seqv. Sebast. *Nie-*
mannum in diss. de reliquiis Christi & Sanctorum
Jenæ 1666. habita, Dn. Joh. Seb. *Mitternachtium*,
diss. Histor. III. & IV. Thom. *Stegeri* diss. de ortu ac
progressu cultus reliquiarum, Lipsiæ 1608. ed. Joh.
Jacobi *Chifletii* Historiam de reliquiis sacris à fide-
libus diligenter custoditis, Carolum *Stengelium* de
reliquiis Sanctorum, *Molinæum* tribus diss. de reli-
quiis Sanctorum, vol. 1. disp. Sedanensium & *Gisb.*
Voëtium, part. III. diss. Select. His expeditis scribendi
finem facerem, nisi Tibi, L. B. indicandum censerem,
horas

9X 11, 1444 (11)
horas hujus diei pomeridianas à Schola nostra sic
iri collocatum, ut, qui fides tractare modosque
facere sciunt, Historiā Passionis Dominicæ à Johan-
ne Theilio in numeros Musicos redactam canant:
alii verò *εὐφροσύνη* Juvenes cathedrâ conscensâ, ser-
mone Latino soluto exponant, quæ Physices &
Chronologiæ studioso in Historia Passionis sunt ob-
servanda: & quidem

MARTINUS Zeidler / Altenburg. attendet
Physica: Chronologica vero

MICHAEL Berner / Eisenberga-Osterland.
Nihil amplius restare video, quam ut vestram, Patro-
ni atque Fautores honoratissimi, efflagitem prælen-
tiam; Attentionem enim in audiendo parabit egre-
giæ indolis adolescens

LAURENTIUS FRIDERICUS Hartmann /
Rudolphopolitanus.

Accedite proinde hora II. pomerid. & pro benevolo
accessu ut & auscultatione singulares expectate
gratias, quas Frater

JOH. CHRISTOPHORUS SAGITTARIUS,
Altenb. vobis persolvat. Accedite, iterum iterumque;
rogo; nullæ enim ingruent tenebræ, neque fulgur
conspicietur, quod contigisse refert Alb. Crantzius
I. vi. Metrop. c. 46. cum Papa Alexander III. hoc die
Passionem Dominicam apud Senonas prælegen-
dam jussisset. Vale. P. P. Altenburgi ix. KL. Apr.

AC. clv. lvc. LXXVI.

S O L I D E O G L O R I A.

Von

G.K.
422,
29.

HIST
IN SC
IX.

EX
Lit

M. PA

Al

ASSIO.
A,
RGENSI
XXVI.

TORIA
tur,
Muficæ

ITTARIUS,
chterum,

II i
1444

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

